

RHYTHMI MUSICI
PRO LUDIS AUTUMNALIBUS,
Datis Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCCLIX.

(*****)

PROLOGUS.


Virtus Christiana, ex Britannia Armorica in Mundum
dimissa, damnat in eo abusum *Deliciarum.*

*Concupiscentia. Mundus. Genius Britanniae. Virtus Christiana.
Venatores.*

Mund. O scenam deliciis plenam! - - Quanta mihi dulcedo infundit
se! - - Quæ voluptas me beat undique. - - Quam umbra amæna, quam au-
ra est lenis! - - Sanguis ipse salit in venis. - - Quam teneri moduli; quam
suaves, quibus lætæ accidunt aves! - - Undæ ipse admirantur. - - Feræ
tripudiant. - - Eja, o mei, lætemur & nos; lætemur! lætemur hodie; eras
forsitan moriemur. Utamur bonis, dum sunt; fruamur deliciis, antequam
nos deserunt.

Chorus, præcidente Mundo.

TU, lata Diana,
Hue respice;
Et fave, ne vana
Ludamur spe.
Urge in retia
Neimorum spolia;
Cervos, lepusculos,
Apros, & hinnulos.
Fave Dea
Pridem mea.



Mund. Sed quid navigii huic imminet littori? - - Nisi fallunt insi-
gnia, navis est Gallica. - - Anchoram jaciunt, exscensionem faciunt. - - Ge-
nium cerno Britanniae. Quæ caussa te sistit hoc in littore? *Gen. Brit.* Ex
peregrino territorio Virtutem Christianam adveho. Hanc per marium lon-
ginqua spatia mittit tibi Britannia Gallica. Cape cælestè donum; serva con-
stanter tam amabile bonum. Sic enim habebis, quod appetis; delicias in
deliciis, in honoribus, in divitiis; hoc sine comite nulla voluptas sincera;
opus, & gloria sunt chimæra.

A R I A.

¹
Nam quid *Deliciae*,
 Quas Virrus respuit?
Quid sunt *Divitiae*,
 Si Virtus deficit?
Sunt comptæ *Furiæ*,
 Quæ cor excruciant:
Sunt virus animæ;
 Hanc enim enecant.

²
Quid tandem *Gloria*,
 Quam Mundus blaterat?
Quid cœlla culmina,
 In quibus habitat?
Sunt præcipitia,
 In quibus pereunt,
 Qui fovent vitia,
 Virtutem negligunt.

Gen. Brit. Functus legatione sum; navem repeto, & littus Britannicum. *Virt.* Vale, dilecte Genie! Ego remaneo, & Mundum renovo cælo auspice. *Mund.* Salve hospes. Quid novi peregrinis ex terris nuncias? iam Mundum delectat novitas. *Virt.* Novi nihil tibi affero præter me. At tu vicissim dicio, quid agas hoc in nemore. *Mund.* Quæro voluptatem, & in hac felicitatem. *Virt.* Turpis voluptas, vana felicitas! usque cum bestiis habitare, usque deliciis silvestribus inhiare. *Mund.* Falleris. Mundi recreatio non est sola venatio. Quæro delicias, sed semper alias. Sic nulla me fatigat satietas, & semper delectat varietas.

A R I A.

Jam placet venatum exire;
Nunc musicam juvat audire:
 Jam saltito, vel equito;
 Jam ludo; mox deambulo.
Nunc garrio velut Sybilla,
 De hoc, & de hac, & de illa.
 Nunc vocant me spectacula,
 Jam cætus, & convivia.
Nunc dormio, quamdiu lubet;
 Nunc ago, quod imperus jubet.
 Hæc vitæ meæ series;
 Sic lætæ semper fluunt res.

Virt. Poteras paucioribus dicere, vitam te vivere mollem, & otiosam; vitam pretiosam. Nam quot alii vivunt miserrime, quia tu jucunde vivis, & commode!

A R I A.

Miseri agricolæ!
 Orphani, & viduæ!
 Quo vobis sudore,
 Quot curis, & quanto mœrore,
 Mundus, & Mundi delicie stant!

Quot crient vobis lacrymas,
Quot imperant vigilias,
Qui se cum Mundo deliciis dant!

Concup. Vah invisum aspectum! quis hoc adduxit hostem Concupiscentiae, mastigem omnis lætitiae, vitæ melancholicæ architectum? *Virt.* Erras. Virtus Mundum non vetat deliciari, sed delicias jubet moderari. Molli otio, jocis, & stultiloquio horas, dies, menses, annos consecrare; nil præter ludos, & epulas; nugas, & ineptias unquam cogitare; indigna res est homine fano, indigna Christiano. *Concup.* Innocentes delicias nullius vetat legis auctoritas.


A R I A.

¹
IN hominis obsequium
Hunc orbem fecit Deus;
Et voluit, ut omnium
Sit rerum usus meus.
Deliciis carere nos
Si idem voluisset,
An aures, os, & oculos,
An corpus hoc dedisset?

²
Cur ergo, quod is approbat,
Tu plectis, ut Megæra?
Cur sensibus, quos dederat,
Nos spolias severa?
An providum Artificem
Erroris incusabis,
Et hominem in stipitem,
Aut saxum transmutabis?

Virt. Animal crassum, & indocile! inter usum, & abusum disce distinguere. Usum deliciarum Deus approbat, abusum vituperat. *Concup.* Madame, nos venamur. Tu interim antrum aliquod ingredere, & Threnos Jeremiæ, vel Psalmos Pænitentiales nobis occine.

Repetitur Chorus.



CHORUS I.

Virtus Christiana damnat Mundi Artes vanas, & malas in Divitiis acquirendis; dein praxin Mundi in Divitiis expendens in luxum, & nugas.

Concupiscentia. *Mundus.* *Virtus Christiana.* *Chrysopœja.*
Gazophilia. *Mercatura.* *Comites.* &c.

A R I E T T A.

Chrys. EJa!
Triumpha Chrysopœja!
Quod haec tenus increduli
Negarunt Academici,
Id potuit,
Et præstítit.



Qmnis

Omnia dans omnibus
Lapis Philosophicus.

Eja!

Triumphha Chrysopœja!

Viginti, quadraginta, sexaginta, octoginta, centum aurei! hem frumentum mei artificii. *Mund.* Miraculum! Miraculum! cito! cito inventum felicissimum inter tubas, & tympana proclama per compita.

A R I O S O.

Dives sum, felix sum!

Cor meum gaudet!

Plaude marsupium!

Et rursum plaude!

Virt. Exultantem denuo, ni fallor, te invenio. *Mund.* Et quidni?

Causa latitiae solidæ sunt hæ vulpeculæ, quæ Chrysopœjæ beneficio resonant in hoc marsupio. *Virt.* Si verum est aurum, gratulor; sed fraudem subesse suspicor. Age, tentemus experimento, an suspicio caret fundamento. - - -

Ignis examinabit, & quæ fides Chrysopœjæ sit, manifestabit. - - - *Mund.*

Placet probatio. - - - *Virt.* Ergo ignem hoc folle animo. - - - *Mund.*

Superi! quale spectaculum! - - - *Virt.* Quod suspicabar, demonstratur ad oculum. - - - *Cbrys.* Quid accedit? *Virt.* Aurum, quod feceras, in cines res abiit; Mercurius cum fumo evanuit. *Mund.* Siccine Chrysopœja me decipit? *Virt.* Vah impostorem! *Cbrys.* Vah te proditorem! *Mund.* Et qualis tu redis nuncius? *Gaz.* Infelicissimus! labor, & spes omnis mihi imposuit, hæc virga nihil prodidit, dæmunculus nihil profuit, thesaurus quæsusitus nusquam apparuit.

A R I O S O.

Mendax Diabole!

Tu me deceperas;

Multa promiseras,

Nihil dedisti.

Orcum jam repece,

Unde venisti.

Concup. Courage, Madame! Ede, bibe, lude, epulare! Licet jam de liciis, ut lubet, innatare. Novas affero supperias, partas meo labore pecunias; sive, ut vocamus, *Fruetus industriales.* *Mund.* Unde isti, & quales?

Concup. Praxis est varia; hanc mea te docebunt axiomata.

A R I A.

I
Ditescere volentium

Hoc primum sit principium:
Quod vis, & potes, cape.
Si clam non potes, rape.

2
Vis, Dolus, Injustitia

Sunt antiquata nomina;
Usuræ, Simonia,
Sunt pars æconomie;

Qui

*Qui splendido justitiae
Rapinam regit nomine,
Industrius vocatur,
Et licite ditatur.*

*Quid clamet conscientia,
Non curat grandis anima;
Non audit, quid natura,
Quid legum dicant jura.*

Mercat. Madame, an nihil placet de meis mercibus? *Conc.* Quid habes dignum magnis sumptibus? *Mercat.* Quidquid facit magnificentiam, pulcram, & splendidam.

A R I E T T A.

EN telas holosericas,
Argenteas, & aureas,
Flabella, sudariola,
Inaures, horologia;
Armillas, specula,
Olfactoriola;
En vacia
Monilia.

Denique cimelia generis varii, justi pretii. *Mund.* Placet varietas, rapit novitas. *Conc.* In forma conclusio: eme, quod arridet genio. *Mund.* Nempe ad quid divitiae, nisi ut ornent me? Merces, & artes exieræ facient me coram orbe splendescere.

A R I E T T A.

GAllus si mihi est sartor & futor;
Nova quotidie veste si ueror;
Si me gemmarum fulgentem thesauro,
Plenam argento si cernent & auro;
Magnam dicent exteri,
Adorabunt subditi.

Virt. Sed quid fieri denique, si pergis ita splendescere? quid erit tua magnificentia, nisi paupertas splendida?

A R I A.

AH! cur, ut pulcra sis,
Te destruis?
Provinciarum pretia
In ueste tua splendent;
Multorum patrimonia
Ex aure una pendent.
Sed interim domestica
Res occidit, & publica;
Ditantur regna extera,
Exhausta gemit patria,

2
Ad quid hæc, obsecro,
Perditio?
Ad quid hæc pompa capitisi,
Hæc strues cincinnorum?
Ad quid tot nova invenis
Tormenta capillorum?
Ad quid tot novæ tunice,
Tot tæniæ, tot fimbrie,
Tot gemmæ, tot monilia,
Tot vittæ, tot palliolas,

Offa rodunt liberi,
Fame pallent subditi :
Dum tu formosa es.
Indigna res !


Fasciæ, & annuli,
Crepidæ, & calcei ?
Ad quid tot alia
Crepundia?

Mund. Nondum sufficiunt allata subsidia ; nova mihi est opus pecunia.
Virt. Exhausta sunt araria, exhaustæ urbes, & oppida. *Concup.* Ergo contrahamus debita ; expungent futura secula. *Mund.* Promptum consilium.
Conc. Et necessarium, si amas voluptatem, si vis tueri pristinam majestatem.

D U E T T O.

Conc. Sic famam, ut sol radios,
Per orbem dilatabis.
Sic nomen apud posteros
Æternum conservabis.
Sic tibi, qui videbunt te,
Submittent se.

Virt. Sic perdes te, & liberos ;
Sic famam profligabis.
Egenos cernes subditos,
Ac tandem mendicabis.
Sic laute, & magnifice
Consumes te.



CHORUS II

Exhibit Mundi *Superbiam* a Virtute Christiana frustra
reprehensam ; & a Divina Nemesi bello & peste
punitam.

Concupiscentia. Mundus. Punctum Honoris. Virtus Christiana. Nemesis Divina. Mars. Mors. Comites &c.

Punctum Hon. Adeste, quotquot vultis Mando famulari ; quotquot a Munde cupitis amari ; adeste animis, & audite, quæ nuncio. *Punctum Honoris* sum, cor & pupilla vestræ Dominae ; hujus nomine in mea effigie cultum a vobis exigo : si negatis, per vim extorqueo. Sed ut libera sit devotio, aures advertite, & quantus sim, intelligite.

A R I A.

Sum equidem gracilis nanus,
Sum punctum, sum nihil, sum vanus ;
Sum blandus blandicibus :
Væ tamen me lœdentibus !
Si tangor digito,
Si pungor verbulo,
Mox sentio bilem, mox ira candesco,
Et aquæ ferventis in morem tumesco ;
Insonant classica, intonant æra,
Fulgurat stricta in necem machæra.

Domina !

Domina! Captavi benevolentiam, disposui animos ad reverentiam.
Mund. Igitur ad hanc aram præstate homagium, facite sacrificium. Si re-
nueritis, indignationem meam sentietis. Nam quisquis mei Punctum Honoris
negliget, mihi met injuriam faciet. **Concup.** Ergo procumbite. - - - Cultum
verbis, & factis ostendite.

Chorus Servorum Mundi.

VEnite, adoremus!
Honoris,
Orbis Dictatori,
Mundi ad imperia
Nos & nostra omnia
Submissi consecremus.

Virt. Quid audio? - - - Imo quid video? - - - Vah! execranda su-
persticio! **Conc.** Os opprime, canis satyrice. **Virt.** Quo te abripit insana
superbia, ut aram statuas tibi, postules sacrificia? **Mund.** Quod facio, per-
mituit status conditio. Homines inter homines excellere vult ordo Prov-
identiae. **Virt.** Vult, sed sine præjudicio divinæ gloriæ; hanc præ nostra nos
debet querere. **Conc.** Cæli contentus gloria cæli Dominus in terris nil querit
amplius. Dei terrestris, aut saltem semidei titulum relinquit filiis hominum.
Mund. Age igitur, fleete genua, & Puncto Honoris sacrificia; ni facis, pænas
dabis exilio. **Virt.** Unum adoro Dominum; uni sacrificio. Quem jaetas Deun-
culum, negligo, abiicio, confupo. **Punct. Hon.** Blasphemia! Vindictam po-
stulat contumelia; læsum est Punctum Honoris. **Mund.** Facesse illico, aut eris
victima mei furoris. **Virt.** Fugio, ne, quod vos manet, involvar supplicio.

T R I O.

Mund. Concup. Punct. Hon.

ABi, Cato inhumane,
Morum censor male sane!
Ibi sedem elige,
Ubi viles animæ
Jacent sine nomine,
Sine cura gloriæ.
Ibi cætum, ibi
Domum quære tibi.

Nemesis. Jo! triumpho! - - - Virtus est in exilio. Nemo est igitur,
qui mihi resistat, si punio. - - Adeste, mei Satellites, Honoris Divini vindic-
ces! - - - **Mund.** Quid hoc spectaculi? **Conc.** & **Punct. Hon.** Fugiamus a
facie irati Domini. **Nem.** Fugite, fugite; non effugietis manum ferientis Ju-
stitiae. Mars insistit vestigiis, Mors later in insidiis, - - - - **Mars** & **Mors.**
Sistite,

Sistite, & pñas iratæ Nemæsi persolvite. *Mund. Conc.* &^r *Punct.* Hon. Eheu! --
parce Justitia! *Nem.* Sera suspria! -- In profundum demergito, qui supér
altra cæli sedem affectabant in Dei folio. ----

A R I A.

HÆc pñna est, hic terminus
Superbiæ Mundanæ,
Quæ stolidis conatibus
Se inflat instar ranæ.
Dum magno garrit strepitu
Honoris Punctum sui,
Conteritur cum sonitu,
Ac gemens dicit: *fui.*

Mors. Fecimus imperia. *Mars.* Quid ultra mandas, Justitia? *Nem.*
Ut satisfiat Justitiæ, etiam Mundi reliquias exscindite. *Mars* & *Mors.* Obe-
diemus, exscindemus.

D U E T T O.


Mars.
EGo facem præferam:
Hac in orbe sœviam.
Vicos, aulas, oppida,
Arces, & palatia
Cremabo.
Quod a flammis reliquum,
Sentier hunc gladium:
Homines ut pecora
Nulla facta gratia
Mactabo.

Mors.
Ego pestilentiam
Late terris inveham.
Hac in cœmeteria
Hortos, agros, compita
Mutabo.
Tandem si quis Martium
Evitabit impetum,
Belli post vestigia
Strage Mundum ultima
Vastabo.
Nem. Placent Nemæsi vestra consilia. Sic meretur plecti Mundana su-
perbia. Sed prius hoc in littore monumentum extincto Mundo statuetis, &
hoc epitaphium ejus posteris relinquatis. *Mundus transit*, & *Concupiscentia*
ejus. 1 Joan. 2 v. 17. ----

C H O R U S.

Mars, Mors, & utriusque Comites.

NUnc jungamus agmina,
Et jubente Nemæsi
Opera unanimi
Sanguine, & cæribus,
Morbis, & funeribus
Implecamus omnia.



O. A. M. D. G.